

LIBER III.

De diuinis proprietatibus agitur, quae ad Dei operationem pertinent et affirmantes vocantur.

Egimus hucusque de Dei proprietatibus, quas ad eius naturam ac essentiam pertinere concipimus, et quas Theologi negantes dicere consueuerunt: acturi modo de illis, quae ad ipsius operationem spectant et affirmantes dicuntur, quibus non merae negationes subiectae sunt, sed aliquid quod qualitatis affectionisque more cogitando describimus. Faciemus autem in hoc libro, quod in superioribus factum reliquimus, scilicet: praecipuas Dei perfectiones seligemus, quas Patrum vsus et tractatio nobis commendant. Erunt vero ex iis immanentes aliae, transcuntes reliquae, vt Theologis distinguere visum fuit. Huiusmodi sunt Scientia, Omnipotentia, Bonitas, Amor, Misericordia, Prouidentia, aliaque. Sit ergo.

CAPVT I.

Scientiam Deo esse maxime propriam euincitur: illius natura ac dotes declarantur.

Est in Deo perfectissima scientia.

Ita per omnes vtriusque Testamenti paginas declaratum expressumque est. I. Regum II. »Deus scientiarum Dominus est«. Prouerb. III. »Dominus sapientia fundauit terram, stabiliiuit coelos prudentia«. Esther XIV. »qui habes omnium scientiam«. In Psalmis CXL. et CXXXVIII. »et sapientiae eius non est numerus. Ecce Domine tu cognouisti omnia nouissima, et antiqua«. In lib. Sapient. cap. VII. »quoniam ipse »sapientiae dux est, et sapientium emendator«. Iobi item toto fere cap. VIII. et XX. sapientia tamquam solius Dei solida possessio describitur his verbis: »Sapientia ubi inuenitur? Et quis est locus intelligentiae?::: Deus intelligit viam eius, et ipse nouit locum illius. »Ipsa enim fines mundi intuetur, et omnia quae sub coelo sunt res-
»pi-

»picit«. Et ad Colossenses I. Dei filius appellatur *Dei sapientia*; atque in illo dicuntur esse omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei, ad Colos. II. Neque vero pluribus testimoniis opus est: nam id fere omnis Scriptura testatur.

Patrum sententias aliquas saltem proferamus. Augustinus in Soliloquiis (1) mirabundus Deum alloquens ait: »lux cui omnes tenebrae »lumen, cui omnis obscuritas lux; lux supra quam non obnubilat »caecitas, quam caligo non hebetat, quam tenebrae non offuscant, »quam nulla obstantia claudunt, quam numquam separat aliqua um- »bra: lux quae illuminat omnia simul, semel, et semper, absorbe »me in tuae claritatis abyssum, vt videam vndique te in te, et me »in te«. Irenaeus etiam sic loquitur (2): »Deus quum sit totus mens, »totus ratio, et totus spiritus operans, et totus lux, et semper idem »et similiter existens«, cet. Nemesius deinde christianus Philosophus scribit (3): »ignorantia et imperitia prorsus aliena est a beata illa »substantia, scilicet Dei; ipsius enim est cognitio, et sapientia, et »scientia«. Synesius tandem ait (4): »Deo sola ad cognoscendum »natura satis est«. Expressius vero S. Thomas dicens (5): »quum »Deus sit omnino immaterialis in ipso scientia est perfectissimo modo«.

Ratio etiam suffragatur. Quidquid enim perfectionis in rebus creatis reperitur, in Deo ponendum est: at in rebus a Deo creatis inuenitur scientia, in Angelis nempe et hominibus: haec ergo modo eminenti existit in Deo. Similiter: Deus est id quo melius excogitari nihil potest: ergo oportet illum scientem ac sapientissimum esse: quum scientia praecipua sit rerum perfectio.

Hanc autem scientiam eandem esse Dei naturam summa ipsius simplicitas suadet. Quapropter S. Augustinus ait (6): »Deus non sic »habet scientiam, vt aliud sit illi scientia qua scit, aliud essentia »qua est; sed vtrumque vnum est, nec vtrumque dicendum est, »quod simpliciter vnum est«. Cyrillus item Alexandrinus scribit (7): »quum itaque confessione omnium simplex sit, non est aliquid ab »eo diuersum eius cognitio«. Hinc S. Thomas euidenter concludit (8): Deum ita se per se ipsum intelligere, vt et intellectus intelligens, et illud quod intelligitur, et species intelligibilis, et ipsum intelli-

S 2 re,

(1) Cap. XIII. (2) Lib. II. cap. 47. (6) Tract. 99. in Ioan.

(3) Lib. de prouid. cap. 44.

(7) Lib. XIII. thesauri.

(4) Lib. de insomniis.

(8) I. cont. Gent. capp. 45. 46. et

(5) I. p. quaest. 14. art. 1.

47. et 1. p. q. 14. art. 4.

re, seu actio intelligendi vnum omnino idemque sint, propter infinitam videlicet eius simplicitatem et perfectionem. Vna igitur est Dei scientia, vt vna est eiusdem natura.

Sed perfectissima haec diuinae scientiae vnitas nihil obstare videtur, quominus varie a Theologis fuerit partita, ob rerum scilicet illarum varietatem, quas obiectas habet. Ac primo ponunt aliam *speculatricem*, et *effectricem*. Primam dicunt quatenus rem obiectam attingit, quae vel fieri nequit, cuiusmodi est diuina natura, attributa, relationes, vel fieri licet possit, numquam tamen re ipsa fiet, qualia sunt, quae possibilis dicuntur in scholis; alteram quae non tantum speculatur, sed et rem quam intuetur efficit: qua scientia percipit Deus creata omnia quae sunt, fuerunt, eruntque: nec bona solum, sed et mala culpa, quae ipse permittit vt sint. Diuinam exinde scientiam *necessariam* admittunt, et *liberam*. Primam vocant, quae omne diuinae voluntatis decretum intelligentia nostra anteuertit, qua Deus se ipsum et naturas rerum possibilium contemplatur: secundam, quae libero Dei decreto nostro intelligendi modo posterior est, qua intuetur ea omnia, quae existunt, et quandoque erunt. Prae his tamen celebris eiusdem scientiae diuisio est in *scientiam simplicis intelligentiae, et visionis*. Prima est quae versatur erga illa, quae nec fuerunt, nec erunt, sed esse possunt, solamque eorum naturam considerat: secunda, eorum est quae fuerunt, sunt, et erunt, quam deinde visionis dicunt, translato verbo a corporis sensu, quod nimirum tam *nuda et aperta omnia oculis eius sint*, eique praesentia, quam ea quae oculis nostris sunt subiecta. Sed scientiae huius *visionis* dictae est et alia diuisio in scientiam scilicet *approbationis, et improbationis*. Si bona vel praeterita, vel praesentia, vel futura respicit, *approbationis* dicitur: nihil siquidem tale vnuquam fuit, est, atque erit, cuius aeterna Dei approbatio causa non sit: si vero mala culpa Deus respiciat scientia illa *improbationis* dicitur: talia enim neque vult, neque probat Deus, sed tantum permittit. Hae sunt versatissimae in scholis diuinae scientiae partitiones. Noua tamen posthac scientia emer- sit, atque *mediam* se se intulit scientiam *visionis inter et simplicis intelligentiae*. De ea fusius et opportunius postmodum.

Iam diuinae scientiae proprietates reliquas perscrutemur. Quum itaque simplex illa et vnica sit, licet in varia partita membra ob rerum obiectarum varietatem, hoc efficit quod Deus vnica cognitione omnia et quidem infinita percipiat. Verum et est illa omnino im-

immutabilis quemadmodum et ipsa Dei essentia immutabilis est. Proinde nihil in ea varium esse potest ac multiplex; nec capax est incrementi aut decrementi; neque de praesenti ad futurum, aut de praeterito ad praesens transit.

Tandem, habet diuina scientia dorem aliam praeclarissimam, quod nempe rerum omnium causa sit. »Vniuersas enim creaturas suas et »spirituales et corporales, non quia sunt, ideo nouit: sed ideo sunt, »quia nouit. Non enim nesciuit quae fuerat creaturus: nec aliter ea »sciuit creata quam creanda. Non enim eius sapientiae aliquid accessit ex eis, sed illis existentibus sicut oportebat et quando oportebat, illa mansit vt erat«, vt loquitur S. Augustinus (9). Quo in loco immutabilitatem etiam diuinae scientiae commendat. Hae de scientiae diuinae dotibus dixisse sufficiat: quae ab eruditis Theologis fusius exposita, paginam vitramque implent. Modum adhibuimus rerum necessariarum delectu ex infinita illa copia. Nunc de huius scientiae obiectis subiectisque rebus, duobus quae sequuntur capitibus, loquemur.

CAPVT II.

De diuina scientia erga ipsum Deum

Deus semetipsum perfecte cognoscit ac comprehendit.

Primum quidem est in Scripturis testatum. Ioan. enim x. Christus ait: »sicut nouit me Pater, et ego agnosco Patrem«. Et de Spiritu sancto i. ad Corinth. scribit Apostolus: »Spiritus Dei scrutatur omnia, etiam profunda Dei... quae Dei sunt nemo nouit nisi spiritus »Dei«. Id ipsum testantur Patres: Augustinus (1): »nouit omnia, »inquit, Deus Pater in se ipso, nouit in Filio: sed in se ipso tamquam »se ipsum, in Filio tamquam Verbum suum«, ceter. Isidorus (2): »so- »la sibi, ait, nota est Trinitas«. Demum S. Thomas (3) scribit: »Deus »quum sit actus purus in summo immaterialitatis intelligit se per se ip- »sum«. Accedit ratio dictans menti summae summum intelligibile responde- re debere: Deus autem summa mens est: eius ergo scientiae res obiecta omnium praestantissima et summa sit oportet. Quid vero ipsa Dei essentia praestantius? Hanc igitur Deus intelligit, estque illa obiec-

(9) Lib. xv. de Trinitate cap. 15.

(2) Lib. iii. de summo bono cap. 3.

(1) Lib. xv. de Trinitate cap. 14.

(3) I. p. quaest. 14. art. 2.

tum, vt Theologi appellare consueverunt, primarium, connaturale, atque specificatum.

Duo tamen minime contemenda huic veritati obstare videntur. Siquidem scientia Dei, eiusdemque omnipotentia idem omnino sunt: at omnipotentia Deum pro obiecto nequit habere: ergo nec scientia. Praeterea: si Deus se ipsum intelligit, a se ipso distinguatur oportet: nam si ipse se intelligit, ad se ipsum referatur necesse est: sciens enim ad scitum refertur ex Philosophorum communi sensu: omnia autem quae mutuo referuntur distincta sunt: sed nihil hoc falsius et absurdius excogitari potest: Deus ergo se minime cognoscit. Leuia tamen haec sunt. Quid enim, vt primo occurramus, si Dei scientia atque omnipotentia vnum idemque re ipsa sunt: quippe quae ipsa sunt Dei essentia simplicissima? Nostra ratione seu intelligentia distinguuntur, quoniam diuersae res sunt: quas vtraque obiectas habet et attingit: nam scientiae Dei res obiecta veritas est: Deus vero prima et summa veritas est: imo est cuiusuis veritatis origo atque forma. Omnipotentiae autem res obiecta sunt propriae ea quae possunt fieri. Quum ergo solum quae alia a Deo sunt, fieri ab illo possint, sola illa quae facta sunt vel possunt fieri, eius sunt obiectum, non diuinum quidpiam. Secundum sic soluimus. Scientem inter et scitum solida, vt aiunt, et realis distinctio tunc solum intercedit, quum scitum a sciente re ipsa distinguitur: hoc autem in Deo non habet locum: quum iam constitutum sit in illo mentem intelligentem, rem intellectam, actum intelligendi, etc. vnum idemque prorsus esse: hinc si quae distinctio Deum inter scientem Deumque ipsum scitum concipitur, rationis ea est, non vera et realis.

Sed iam, iis solutis, ad id quod secundo loco in propositione statutum est, redeamus: Deumque nedum se cognoscere, verum et se comprehendere concludamus. Dicitur enim in Psalm. cxlvi. »sapientiae eius non est numerus«. Nulla itaque terminatione circumscribitur ac finitur. Quid deinde si spiritum, qui scrutatur etiam profunda Dei, nihil latet? Se ipsum comprehendat necesse est. Comprehensio siquidem est ex S. Thomae doctrina, cognitio infinita qua res cognoscitur quantum cognosci potest. Quod si scientia Dei talis non foret, posset alia excogitari ea praestantior: Deus ergo se cognoscit quantum cognosci potest, seque comprehendit.

Non tamen ob hoc Deus finitus habendus est, nec tale S. Augusti-

ti-

tinus dicit verbis illis (4): »quidquid comprehenditur scientis comprehensione finitur«, nam vt S. Augustini discipulus Thomas exponit, haec, similesque locutionis species *per negationem sunt exponendae*. Hac lege: quod sicut Deus in se ipso esse dicitur, quia ab exteriori nullo continetur, ita et a se ipso comprehenditur, quia nihil est sui quod ipsum lateat: quemadmodum ipse Augustinus scribebat (5) his verbis: »totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem«.

Ex quo autem Deus se ipsum cognoscat, ait S. Thomas (6), quod alia a se cognoscat ponere oportet. Id quod capite sequenti exponemus.

CAPVT III.

De diuina scientia erga alia a Deo.

Cognoscit Deus quascumque creaturas: nec futura ipsa contingentia et conditionata diuinam scientiam latent: quin et scrutatur cogitationes hominum et peccata.

Tria haec passim commendant Scripturae. De primo ergo intelligendum quod legitur in Eccl. cap. i. »Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante aeuum. »Arenam maris et pluuae guttas et dies saeculi quis dinumerauit? »Altitudinem coeli et latitudinem terrae et profundum abyssi quis dimensus est?« Et in cap. xxiii. »Domino antequam crearentur omnia sunt agnita, »sic et post perfectum respicit omnia«. Estheris quoque xiv. »Domine qui habes omnium scientiam«. Demum ad Hebraeos iv. »Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda et aperta sunt oculis eius«.

Ex Patribus docent hanc veritatem Clemens Alex. (1) »Deus omnia nouit, non solum quae sunt, sed etiam futura, et quemadmodum erit vnumquodque, ac particulares motiones praecidens: »omnia prospicit et audit omnia, nudam intrinsecus animam videns »vniuscuiusque, etiam de singularibus aeternam habet intelligentiam«. Petrus item Damianus scribens (2): »omnipotens Deus, qui omnibus

(4) Lib. xii. de ciuit. Dei cap. 18.

(6) I. cont. Gent. cap. 49.

(5) Lib. de videndo Deo. seu Epist.

(1) Lib. vi. Stromat.

112. ad Paulinum cap. 9.

(2) In opusc. vi. et xxx. cap. 7.

»bus quae voluntur incomparabiliter supereminet, omnia simul suis
»subiecta conspectibus praesentialiter videt«. Augustinus etiam di-
cens (3): »in vna Dei sapientia esse immensos quosdam atque in-
»finitos thesauros rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes inul-
»sibiles atque incommutabiles rationes rerum etiam visibilium et mu-
»tabilium«. Dictis consona ratio est: nihil enim fuit vquam, ni-
hil erit, nihilque tandem esse potest, quod non spectet ad vim effec-
tricem Dei, quodque sub eius voluntate non sit: Deum autem videri
ac cognoscere quidquid sub eius voluntate est, atque virtuti eius-
dem effectrici subiacet, quis inficiabitur? ergo cognoscat oportet
quascumque creaturas, siue possibiles, siue futuras, siue praeteritas,
siue nunc existentes.

Sed obstare dictis videtur quod Hieronymus scribit (4), nempe:
»absurdum est ad hoc Dei deducere maiestatem, vt sciat per mo-
»menta singula, quot nascentur culices, quotie moriantur: quae ci-
»micum et pulicem et muscarum sit in terra multitudo: quanti pis-
»ces in aqua narent; et qui de minoribus maiorum praeda cedere
»debeant«. Similiter: quod vt Augustinus docet (5), in Deo nulla
est praescientia: saltem ergo futurarum rerum notitia Deum subre-
fugit.

Quibus tamen respondetur: Hieronymum tantum negare Deum
minima quaeque cognoscere ea cognitionis specie, quae cum eodem
amore eademque benevolentia, quibus homini per suam providen-
tiam prospicit, coniuncta sit: non vero denegare cognitionem sim-
pliciter sumtam: atque haec solutio ex iis quae ipse Hieronymus subi-
citur, colligitur; scilicet: »non simus tam fatui adulatores Dei, vt dum
»potentiam eius etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos iniuriosi simus,
»eandem rationabilium quam irrationabilium providentiam esse di-
»centes«. Secundum soluit idem S. Augustinus dicens (6): »confite-
»ri esse Deum, et negare praescitum futurorum apertissima insania est«.
Itaque in Deo praescientia admittenda est, quatenus sua vnica ac
simplicissima cognitione omnia Deus immutabiliter considerat, non
quasi haec ipsa Dei cognitio rerum noua accessione perficiatur, et
res praesciendo antequam fiant, et cognoscendo quum iam habent es-
se. Tantum.

Ad secundam propositionis partem veniamus, Deumque futura
quae-

(3) Lib. xli. de ciuit. Dei cap. 10.

(4) In r. cap. Habacuc.

(5) Lib. ii. quae. ad Simplic. q. 2.

(6) In lib. y. de ciuit. Dei cap. 9.

quaelibet contingentia et conditionata cognoscere, aduersus Socinia-
nos praesertim, ex Scripturis probemus: in Psalmo xxxii. dicitur: »qui
»finxit singillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum«.
Sapientiae viii. »signa et monstra scit antequam fiant, et euenus tem-
porum et saeculorum«. Apud Isaiaem xlviii. : »scio quia prauari-
»cans praeuaricaberis«. Et cap. xlii. »annuntiate quae ventura sunt
»in futurum, et sciemus quia Dii estis vos«.

Atque de futuris illis quae reuera exitura non sunt, sed existe-
rent, si certa poneretur conditio, sunt praeter adducta argumenta
alia in Scripturis: nam i. Regum cap. xiiii. Dominus a Dauid Rege
consultus, an tradituri eum essent viri Cellae in manus Saul, respon-
dit, tradent: quo oraculo accepto, fugit Dauid et non fuit traditus.
Matth. xi. Christus Dominus adserit, quod si in Tyro et Sydone fac-
tae fuissent eadem virtutes, quae apud Corozain et Behtsaidam, Ty-
rii et Sydonii poenitentiam egissent.

Quid autem circa hoc Ecclesiae Patres? Augustinus contra
Pelagianos disputans egregie hanc confirmat veritatem plurimis in lo-
cis. Duo praecipua sunt ista (7): »his quos praeuidit, (ait in lib. de
»dono perseuerantiae) si apud eos facta essent, suis miraculis credi-
»turos, quibus noluit subuenire, non subuenisse: de quibus in sua
»praedestinatione occulte quidem, sed aliter iudicauit«. Et in libro
de correptione et gratia (8): »respondeant si possunt, inquit, »cur il-
»los Deus, quum fideliter et pie viuerent, non tunc de vitae huius
»periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, et ne fictio
»deceperet animam eorum? »Vtrum hoc in potestate non habuit, an
»eorum futura mala nesciuit? Nempe nihil horum nisi peruersissime
»atque insanissime dicitur«, Magistro concinit S. Prosper his verbis (9):
»de Tyriis et Sydoniis quid aliud possumus dicere, quam non esse
»eis datum vt crederent, quos etiam credituros fuisse ipsa veri-
»tas dicit, si talia, qualia apud Iudaeos non credentes facta sunt,
»virtutum signa vidissent«.

Generaliter autem futurorum omnium cuiuscumque generis cog-
nitionem Deo tribuere praeter Augustinum et Prosperum alii Patres.
Origenes apud Eusebium haec habet (10): »quidquid aliquando futu-
»rum est, id Deum multo ante futurum praenosce, vt Scripturae
»abeset auctoritas, vel ipsamet ex Dei notione is profecto demum

Tom. I.

(7) Cap. xi.

(8) Cap. viii.

T

(9) Resp. viii. ad excerpta Genuen.

(10) In 3. de praeparat. Euang.

intelligat, qui probe vim illam et excellentiam diuinae mentis intelligit. Cyrillus Alex. sic scribebat (11): »Deo natura conuenit omnem habere et iam praeteritorum et futurorum notitiam«, cet.

Huc spectant argumenta petita ex comprehensionis idea, atque superius adducta. Accedit omnibus ratio istiusmodi: Deus reuera futura huiusmodi saepius praedixit, vt ex Scripturis colligebamus: ergo certo praenouerat: atque vt Tertullianus scribit (12), tot diuinae huius praescientiae testes habemus, quot Deus fecit Prophetas.

Contra veritatem tamen istam sic firmatam, sunt a Socinianis proposita argumenta quaedam hic soluenda. Primo arguunt ex Scripturis in hunc modum: futura eiusmodi quae ab hominum pendent arbitrio, nonnumquam dubitanter praedicuntur in Scripturis: Ezech. enim ii. haec dicit Dominus: »si forte vel ipsi audiant, et si forte quiescant«. Ieremiae xxvi. »si forte audiant et conuertantur vnus quisque a via sua mala«. Ioel ii. »quis scit si conuertatur et ignoscatur«. Matth. xxi. Verebuntur filium meum«. Deus ergo non certo, sed coniecturaliter cognoscit futura eiusmodi.

Secundo arguunt ex S. Augustino, qui supponit (13) Deum non praevidere quod non est futurum, etsi alioquin quadam conditione posita futurum esset: vitur nimirum eo principio vt confuter Pelagianos contententes paruulos ex hac vita sine baptismo subtractos, ideo salutem non consequi, quod Deus praesciret eos, si ad adultam aetatem. vsque vixissent, male vsuros libero arbitrio.

Tertio arguunt ratione, et quidem pro contingentibus: id non praescitur, quod non habet veritatem determinatam; modus enim cognitionis obiecti modum sequitur: at futura contingentia veritatem determinatam non habent; quam indifferentia sint ad esse et ad non esse: nequeunt ergo a Deo praevideri.

Sed haec omnia facilem aliunde habent solutionem. Ad 1. itaque ex Scripturis deductum respondemus: haec et similia more hominum dicta esse, vt rei incertitudinem ex parte hominum, non autem ex parte Dei euincant. Ita censent Greg. Magnus (14) et Hieronymus (15); sed aduertendum insuper, quod aduerbium illud *forte*, ac quodcumque aliud dubitandi, non semper incertitudinem importat, sed quandoque ex parte hominum difficultatem maximam significant, quan-

(11) Lib. iv. in Isaiam.

(12) Lib. ii. contr. Marc. cap. 5.

(13) Lib. 1. de anima et eius origi-

ne ad Renatum cap. 12.

(14) Hom. xviii. in Ezechielem.

(15) In cap. xxi. Matth.

doque etiam sollicitudinem et spem erigunt. Sic Exod. xxxii. Moses, qui firmissime tamen pro populo orare volebat, ait: »ascendam ad Dominum si quomodo quiuero deprecari pro scelere vestro«. Sic Paullus ad Philip. iii. »si quomodo occurrat ad resurrectionem«. Numquam enim Paullus de mortuorum resurrectione dubitauerat.

Ad secundum quod ex Augustino depromptum gloriantur, dicendum sanctissimum Doctorem reicere scientiam conditionatorum eo quidem sensu quo a Pelagianis ponebatur. Quamuis enim ii verbo tenent contenderent conditionatam esse praescientiam, quam Deo adseribant respectu futuri mali vsus liberi arbitrii in paruulis, qui sine Baptismo moriuntur, reuera tamen supponebant, absolutam esse praescientiam de qua agitur: quippe vt Augustinus argumentatur, necesse est, vt absoluta sit ea praescientia, quae Deum mouet, vt poenas non praeparet modo, sed etiam actu infligat, quum acuum non sit in crimen animaduertere, quod nondum commissum est, licet aliquando committi debeat; a foriori par non est vt animaduertatur in crimen, quod nusquam debet admitti. Non autem reicit Augustinus conditionatorum scientiam in sententia catholica docente Deum futura eiusmodi praenosceri si certa ponatur conditio: reicit itaque Augustinus, vt verbo dicam, praescientiam absolutam talium futurorum, non vero conditionatam.

Tertium sic placet distinguere: futura contingentia quum indifferentia sint ad esse et ad non esse, non habent veritatem determinatam in mente Dei, in qua immutabili aeternitate consistunt quaecumque in tempore mutabili contingentia praetereunt, nego: in causis secundis mutabilibus, subdistinguo: pro tempore futuro, quo certe aut euenient aut non euenient, nego; pro tempore praesenti, concedo: contingentia itaque habent veritatem determinatam in actu signato, vt inquit, etsi non illam habeant in actu exercito. Ceterum de his abunde Dialectici. Illa ergo praenoscit Deus ab aeterno, quando eorum causa, nempe creata voluntas non erat, quum in tempore tantum creata fuerit.

Atque Socinianis confutatis, danda denuo opera est vt ad proposita pergamus. Deum cogitationes hominum, ino et eorum scrutari peccata tertio loco positum firmatumque fuit. Pro hoc faciunt plura ex hucusque enucleatis: quibus addimus haec alia. In Psalmo lxxviii. scriptum est: »Deus tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita«. Et cxxxviii. »Intellexisti cogitatio-

»nes meas de longe«. Iob etiam xxxi. »Nunc ipse considerat vias
»meas, et cunctos gressus meos dinumerat«. Ierem. item xvi. »Ego
»Dominus scrutans cor, et probans renes«. Tandem ad Cor. II. «; Quis
»scit hominum quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso
»est«. Ex Patribus id ipsum testantur prae aliis Ephrem Syrus sic
»scribens (16): »quod si subdole ad aduersario nolis in re aliqua sup-
»plantari, crede mihi nihil te agere vel cogitare quod lateat Deum«.
»Accedit Ambrosius dicens (17): »qui se existimat ab eo, qui omnia
»videt, non videri, et tenebris credit commissa sua posse celari, vim-
»bram praetendit. Sed frustra latere se credit, quum oculus Domini
»lucidior sole occulta omnia deprehendat«. Similia habent Hilarius,
(18) Bernardus (19) alique. Suffragatur et ratio: Deus nouit perfec-
»tissime quidquid misericorditer operatur, prouidoque consilio permit-
»tit: at hominum cordium cogitationes, quum vel ad bonum sint vel
»ad malum, vel ab ipso Deo praemouente efficiuntur, vel sinente Deo
»permittuntur: ergo scrutatur Deus intimas cordium cogitationes et
»peccata ipsa.

Sed obstare videtur, quod legitur Habacuc i. »mundi sunt oculi
»tui ne videant malum, et respicere ad iniquitatem non poteris«.
»Et etiam Matth. xxv. : »amen dico vobis, nescio vos«. Respondetur
»tamen Prophetam Habacuc hoc in sensu loqui, quod Deus mala re-
»probatorum opera non cognoscit scientia practica et approbationis, be-
»ne vero scientia simplici et speculatiua: atque hunc esse Prophetae
»sensum ex eo liquido constat, quod miratur Deum pati Chaldaeos
»tanta flagitia et victorias suis idolis referre. Apud Matthaenum vero
»ea verba: *nescio vos*, idem valent ac si diceretur, vos pro meis non
»habeo.

COROLLARIUM.

Quemadmodum vero cognoscit Deus peccata quae nihil sunt, cog-
»noscit et impossibilia, mentis idola, quae entia rationis dicimus, pri-
»uationes ipsas, imo et mala omnia. Nam praeter ea quae supra dice-
»bamus, Deus cognoscit quaecumque possunt in cogitationem huma-
»nam cadere: cognoscit quae ab ipso vere sunt, quae ipse producit,
»quaeque castigat: at impossibilia, idola mentis, priuationesque pos-
»sunt in hominum cogitationem venire; mala deinde naturae Deus pro-

(16) Tractatu de vita spirituali.

(17) Lib. de interpellat. cap. 2.

(18) In Psalm. cxxxvii.

(19) Epist. xlii.

producit, mala poenae ab ipso sunt, mala culpae ipse castigat: cog-
»noscit ergo illa omnia, atque de illis scientiam habet.

CAPVT IV.

Diuinae praescientiae cum hominis libertate concordiam firmat.

Ex Dei praescientia minime sequitur inuitabilis contin-
»gentium euentus.

Hoc dogma fidei constat ex omnibus illis Scripturae locis, quibus
»probatum hominem esse liberum: praesertim ex Gen. iv. vbi dicitur:
»sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius«. Et I. ad Cor. vii.
»Potestatem habens suae voluntatis«.

Ex Patribus vero Origenes primus occurrit, scribens (1): »neque
»enim dicimus, quandoque praescitum erat proditorem fore Iudam,
»prorsus necesse fuisse vti Iudas esset proditor. . . . Sin ita quispiam
»narrat, omnino illud fore, hoc ipsum significans, ista ipsa sic fu-
»tura vt tamen aliter habere poterint, id nos tamquam verum ad-
»mittimus: nam Deus mentiri nullo modo potest: potest de iis quae
»contingentia sunt, vt fieri vel non fieri possint, cognoscere futu-
»ra ipsa vel non futura«. Hieronymus item (2) explicans verba il-
»la: *si forte vel ipsi audiant*, ait: »loquitur haec Deus ambigentis
»tutorum mali vel boni, immutabile fiat, quod Deus futurum noue-
»rit. Non enim quia ille ventura cognoscit, necesse est nos facere
»quod ille praesciuit, sed quod nos propria voluntate sumus factu-
»ri, ille nouit futurum quasi Deus«. Eodem modo explanat Augus-
»tinus libertatem sub dominio praescientiae (3). »; Quis dubitauerit, in-
»quit, quod Iudas Christum, si voluisset, non vtiq; tradidisset? et
»Petrus, si voluisset, ter Dominum non negasset? Sed ideo fuit de
»istis certa praedictio, quia et Deus facili praeclearoque exemplo
»explicat mysterium. Sicut non sibi aduersantur haec duo, vt tu tua
»praescientia noueris quod alius sua voluntate facturus est, ita Deus
»neminem ad peccatum cogens, praenidet tamen eos, qui propria
»voluntate peccabunt: et sicut tu memoria tua non cogis facta esse
»quae praeterierunt, sic Deus praescientia sua non cogit facienda
»quae

(1) Lib. vi. de praep. (2) In com. in cap. 2. Ezech. (3) Lib. de vnitae Eccl. cap. 9.

„quae futura sunt“. Tandem D. Thomas sic scribit (4): „ad primum, inquit, quod effectus diuinae prouidentiae, non solum est aliquid euenire quocumque modo, sed aliquid euenire, vel contingenter, vel necessario, et ideo euenit infallibiliter et necessario, et euenit contingenter et libere: sed diuinae prouidentiae ratio habet vt contingenter et libere eueniant“. Quibus verbis docet, praescientiam non modo libertatem non tollere, sed et prouidentiam esse specialem vt conseruetur.

Ratione etiam eaque multiplici probatur dogma istud. Prima: Deus non semel per Prophetas suos futura huiusmodi reuelauit; quin vim vllam necessitatemque agendi hominibus imponeret: imo eorum libertatem contra monita salutis pluries celebrat: sic Salomon post mulieres alienigenas abiit, tametsi Dominus praedixisset, quod auerterent corda filiorum Israel vt illarum colerent Deos constiterit: sic Achab funestum belli futurum exitum a Michaea accepit, et tamen committere voluit cum Rege Syriae bellum, in quo sagitta in incertum ducta confossus obiit et perit: igitur sub Dei praescientia stat vbique hominis libertas. Secunda ratio: scientia quam habet Deus non infert Dei operibus necessitatem: nam si hanc inferret, non esset in Deo libertas, omnia eius opera essent aeterna, nihilque in tempore operaretur: ergo neque eiusmodi necessitatem infert Dei praescientia in causis secundis, sed eas indifferentes relinquit. Est argumentum S. Augustini (5). Tertia ratio: ex quo Deo sit infallibiliter certus omnium caussarum ordo ac series, apertius infertur hominis libertas, quam eiusdem necessitas ad agendum: nam in serie et ordine caussarum sunt quoque caussae liberae, ipsaeque hominum voluntates; proindeque cognoscit Deus plurima ab his fieri. Est etiam Augustini argumentum (6). Quarta ratio: hae duae propositiones: Iudas traditurus est Magistrum, et Iudas poterit Magistrum non tradere, non pugnant inuicem: ergo neque pugnant istae aliae: praecidit Deus Iudam traditurum esse Magistrum, et Iudas poterit Magistrum non tradere: vnde non implicat quod Deus praecideat futuram Iudae predictionem, et quod Iudas libere et contingenter Magistrum tradat. Legatur Boetius in Lib. v. (7)

CA-

(4) III. cont. Gent. cap. 94.

(6) Lib. v. de ciuit. Dei cap. 20.

(5) Lib. III. de libero arb. cap. 3.

(7) Prosa vi.

CAPVT V.

Eorum argumenta discutit, qui contingentium necessitatem et libertatis interitum ex diuina praescientia oriri ponunt.

Omnia necessitate quadam contingere opinati sunt cum Democrito Philosophi quamplures; quod crederent a causis antecedentibus pendere illa, atque certa quadam colligatione euenire. Ex illis autem errorem ebiberunt Gnostici et Hussitae, atque quotquot post illos ausi sunt arbitrii libertatem inficiari, quod putant ex earum caussarum superiorum ratione euerti. Itaque soluenda veniunt hic horum omnium argumenta, quo diuinae praescientiae cum libertate hominis concordia fortius firmetur.

Primo autem argumentantur ex Scriptura adducentes locum illum Ioan. xii. vbi de Iudaeis dicitur: „propterea non poterant credere quia iterum dixit Isaias, excaecauit oculos eorum“. Sed ideo Deus illos excaecauit, quia praesciuit peccata, quae voluit punire: igitur praescientia causa excaecationis est, atque ratio etiam cur Iudaei credere non poterant. Secundo opponunt S. Augustinum (1) de peccatoribus quibusdam dicentem: „si forte nostri sunt in occulta praescientia Dei, necesse est vt redeant“. Quibus verbis innuere vult praescita a Deo necessario euenire. Tertio adducunt rationem multiplicem. Prima: Dei praescientia certa omnino est, necessaria et immutabilis: sed posita hac Dei praescientia peccati, nempe, futuri, necessitate consequentiae peccatum sequitur: ergo certo, necessario et immutabiliter. Secunda: posita causa effectus necessario consequitur: ergo praescientia Dei posita necessario euenient futura: est enim praescientia Dei futurorum causa. Tertia: ideo fatum gentilium necessitatem perimit, quia est quaedam immobilis caussarum ordinatio, quam nullus impedire potest: at ordinatio et connexio caussarum secundarum cum prima est etiam immobilis, nec vllus eam impedire potest, iuxta illud Estheris xiii. „non est qui possit resistere voluntati eius“: ergo haec ordinatio perimit etiam hominis arbitrium. Quarta demum ratio: nequit non euenire res diuina praescientia supposita: ergo euenit necessitate quadam.

His vero omnibus responsio in promptu est. Ad primum ergo ex

Scrip-

(1) In Psalm. cvi.

Scriptura adductum dicendum: nullam in illo testimonio fieri mentionem de diuina praesentia, sed tantum adseri Deum praenouisse Iudaeorum scelera, minime autem vim eorum voluntati intulisse: ipsi itaque Iudaei ob propriam malitiam et superbiam cordisque duritiam credere non poterant; seu illis quam difficile erat, etsi non esset impossibile. Atque hic ipse sensus est, quo Ioan. v. dicitur eos non credere. »Quomodo, inquit Christus Dominus, vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis? Ad secundum quod ex Augustino obiciunt responsum est ab eodem S. Doctore in libro de concordia libertatis cum praesentia his verbis: »quam dico quia si praescit aliquid, necesse est illud esse futurum, idem esse ac si dicam, si erit, ex necessitate erit rei positionem non praecedit, et idem valet ac si pronuntietur, quod erit, ex necessitate erit. Non enim aliud significat hic necessitas, nisi quia quod erit, non poterit simul non esse« cet. Necessitate ergo consequentiae, ut vocant, necesse est fieri quicquid Deus sua praesentia nouit: verum necessitas haec libertatem non laedit sed supponit, non tollit sed firmat: non tamen est necesse illud euenire necessitate antecedenti et absoluta.

Ad primam rationem respondendum: scientiam diuinam, quatenus nomine praesentiae exprimitur, connotatiue dici, proindeque mutabilem esse et contingentem: dicuntur autem futura certa esse et infallibilia ex suppositione diuinae praesentiae; quamuis minime necessaria sint comparata ad causas proximas. Neque enim importune inter certitudinem et necessitatem euentuum futurorum Theologi distinguunt.

Secundae haec est solutio: non omnem praesentiam esse rerum causam, iuxta illud Augustini (2): »Deus omnia quorum ipse auctor est, praescit; nec tamen omnium quae praescit, ipse auctor est«. De scientia igitur practica intelligere necesse est, id quod dicitur scientiam, scilicet, Dei esse causam rerum: itaque Dei praesentia, quatenus praesentia est, futurorum causa esse nequit; erit vero ut idem est, ac voluntas, prouidentia, directio, et regimen supremi Numinis: semper tamen causa plenissima operans libertate.

Pro tertia ratione haec dicimus: fatum gentilicum necessitatem inducere quatenus a causis necessariis ad vnum determinatis, videlicet a syderibus promanare censetur: verum Deus est quidem caus-

(2) In III. de lib. arb. cap. 4.

sa vniuersalis; sed infinite perfecta, ab eaque proinde sunt et rerum naturae et modus ipse agendi cuilibet connaturalis. Igitur prouidentiae immobilitas; quae in sui dispositione non fallitur, ex cognitionis vniuersalitate procedit et ortum habet: praescit enim Deus non solum acrus liberos, sed et modum quo ipsi acrus a causa libera producuntur. Quia vero Deus vult causas secundas libere agere, ideo semper fit ac impletur voluntas eius: in bonis quidem positua, in malis autem permissua.

Quam solutionem egregie S. Thomas confirmat his verbis (3): »dicendum, inquit, quod fatum secundum considerationem causarum secundarum mobile est, sed secundum quod subest diuinae prouidentiae immobilitatem sortitur, non quidem absolutae necessitatis, sed conditionatae, secundum quod dicimus, hanc conditionem esse veram, si Deus praesciuit, hoc futurum erit. Vnde quae Boetius dixisset fati seriem esse mobilem, post pauca subdit, quia tamen ab immobilis prouidentiae proficiscatur exordiis, ipsamque immutabilem esse necesse est«.

Quartae demum rationi respondendum doctrina saepius repetita: futura euenire simul necessario et contingente, diuersa scilicet connotatione: vel necessitate conditionata et consequentiae necesse est ea euenire Dei supposita praesentia: non vero id necesse est necessitate simplici et absoluta. Et haec pro concilianda hominis libertate cum diuina praesentia. Medium nunc diuinae cognitionis inquiramus.

CAPVT VI.

Medium in quo Deus se ipsum cognoscit designat.

Essentiam suam non cognoscit Deus in aliquo medio: in ipsa vero tamquam in medio cognoscit sua attributa perfectionesque.

Prima pars probatur: nam nullum potest excogitari medium in quo essentiam suam Deus cognoscat: ut enim aliquid sit cognitionis medium necessum est, et quod prius sit re illa, quae in illo cognoscitur, et quod illius causa sit, saltem conceptione nostra; at nihil fingi potest essentia diuina prius, nihilque illius causa po-

est esse, etiam secundum nostrum concipiendi modum; quum Dei essentia in eo sita sit, ut suo loco dicebamus, quod Deus sit ens a se et a quouis alio prorsus independens: ergo Deus essentiam suam non cognoscit in aliquo medio.

Secunda pars probatur: quae requiruntur conditiones ad rationem mediū reperiuntur in essentia diuina respectu attributorum et perfectionum: est enim diuina essentia conceptione nostra causa virtualis attributorum ac perfectionum, illisque prior: in illa igitur tamquam in medio ea omnia cognoscit.

Dices tamen: Deus vnico ac simplicissimo actu cognoscit suam essentiam attributa et perfectiones: at hoc obest ut cognoscat attributa et perfectiones in essentia velut in medio; quum medium debeat prius cognosci quam res cuius medium est: non ergo cognoscit Deus sua attributa et perfectiones in sua essentia velut in medio.

Sed respondetur: quod quamuis Deus vnico ac simplicissimo actu essentiam et attributa perfectionesque cognoscat, videt tamen ex parte obiecti ordinem quemdam, ob quem essentia est radix attributorum aliarumque perfectionum, seu videt haec omnia ex essentia sequi. Atque propter hoc bene dixit Syluius, hanc quam habet Deus scientiam de suis attributis et perfectionibus posse optime vocari scientiam propter quid, sicut vocatur illa quam habet respectu suarum creaturarum.

CAPVT VII.

Medium in quo Deus alia a se cognoscit constituit.

Deus alia a se in se ipso cognoscit.

Id probatur primo ex SS. PP. Dionysius, vel quicumque sit auctor libri de diuinis nominibus, ait (1): »diuina sapientia se ipsam cognoscens scit omnia«. Ambrosius item scribit (2): »nihil Deum extra intelligere, sed singula intueri dicitur«. Augustinus etiam habet: (3): »vidit omnia quae fecit, et sicut vidit ea ita fecit, non praeter se ipsum videns, sed in se ipso«. Tandem S. Thomas (4): »Deus, inquit, se ipsum videt in se ipso, alia autem a se videt non in ipsis, sed in se ipso«.

Se-

(1) Cap. 7.

(3) Lib. v. de Gen. ad lit. cap. 45.

(2) Tract. in symb. cap. 1.

(4) I. p. q. 14. art. 5.

Secundo probatur id ipsum ratione, quam plurimum vrget Doctor Angelicus (5): operatio intellectus sumit speciem et perfectionem ab obiecto primario: e. c. actus fidei nobilior est actu scientiae, etiam infusae, quia erga Deum nobilissimum obiectum primarium versatur: at si Deus creaturas cognosceret in se ipsis independenter ab essentia diuina, creaturae forent obiectum eius primarium, et operatio eius ab ipsis speciem et perfectionem acciperet: quod impossibile reputat S. Doctor.

Contra hanc doctrinam obiicit solet: Deus utpote infinitus in cognoscendo cognoscere debet creaturas omni modo quo cognoscibiles sunt: at illae sunt cognoscibiles etiam in se ipsis, nedum in Deo: non ergo cognoscit Deus alia a se praecisse in se ipso. Similiter: sequeretur Deum alia a se cognoscere abstractiue tantum, non intuitiue: illud siquidem abstractiue cognoscitur, quod in alio videtur, ut effectus in causa: sed falsum consequens: ergo et antecedens.

Verum respondetur ad primum: Deum ex quo sit virtutis infinitae in cognoscendo, debere cognoscere creaturas ut nihil cognoscibile sit in illis quod Deus non cognoscat; minime omni modo quo sunt cognoscibiles ex parte cognoscentis, vel in omni medio quo possunt cognosci: alias et illas deberet cognoscere et discursiue et in medio opinatiuo, quum et sic cognoscibiles sint. Debet itaque illas cognoscere beneficio illius mediū quod summam perfectionem dicit in modo cognoscendi.

Ad secundum dicendum: quod effectus ideo non videntur intuitiue in causis creatis, sed abstractiue dumtaxat: nec vicissim causae in effectibus, quia rationes individuales effectuum non continentur in causis creatis, nec causarum in effectibus: at Deus quum sit ipsum esse, cuius creaturae sunt participationes quaedam, continet eminentiori modo rationes communes et individuales creaturarum, proindeque sicut in speculo videntur intuitiue obiecta, et in numero senario ternarius, ita creaturas omnes intuitiue in se ipso cognoscit Deus. Deinde diuina essentia, ut mox dicitur, est rerum omnium idea: quum autem res videantur ut sunt in se quando in propria videntur idea, bene arguitur Deum creaturas intuitiue videre in se ipso.

SCHOLION.

Quamuis autem vnico ac simplicissimo sit medium in quo
V 2
Deus

(1) Lib. 1. cont. Gentes cap. 4.

*2. ad 1.
H. ad 1.
et in cap.*

Deus alia a se cognoscit, secundum tamen nostrum concipiendi modum quadruplex illud habetur, nempe diuina essentia prout ratione distinguitur ab attributis, omnipotentia, ideae, voluntas seu decreta diuina. Essentia quidem, quae, ut ipsum esse, cetera eminenter continet, et ab ipsis est participabilis: omnipotentia quoque quum sit rerum omnium productiua, nec possit comprehendi quin perfecte cognoscat quidquid efficere potest. Ideae similiter, quae sunt rerum omnium similitudines et formae intelligibiles, ad quarum inspectionem mens intellectualem operatur: denique diuina decreta, quibus Deus decernit ex infinitis possibilibus nonnulla producere. Ergo Deusabilia videt primo in essentia ut ab eis participabili: secundo in omnipotentia ut eorum productiua: tertio in ideis tamquam in sua arte, ut loquitur S. Augustinus, et rerum possibilium forma intelligibili: existentia vero, siue praeterita, siue praesentia, siue futura cognoscit in suis decretis tamquam in medio necessario.

Singula haec ordine suo demonstrabimus, si prius de diuinis ideis nonnulla praemisserimus.

CAPVT VIII

De ideis diuinis ex veterum Theologorum decreto vera ratio datur.

Dantur in Deo verae ideae, et sunt ipsa diuina essentia.

Probatum primo ex Scriptura dicente ad Hebraeos ii. »fide intelligimus aptata esse saecula verbo Dei, ut ex inuisibilibus visibilia fierent«: id est, ut non apparentibus in ideis diuinis seu in mente et arte Dei, existentia et visibilia fierent. Secundo probatur ex SS. Patribus. Dionysius, seu quicumque sit auctor de diuinis nominibus, sic scribit (1): »in omnium causa prius constitisse omnium rerum exemplaria credendum est«. S. Augustinus (2): »est, inquit, in ipsa sapientia spiritaliter ratio quaedam qua terra facta est«. Damascenus sic ratiocinatur (3): »Deus omnium auctor est: ergo omnium quae sunt rationes in se et causas, hoc est ideas, iam ante in ipso praehabet«. Quamobrem uti architectandi ars, aut alia quaelibet, varias continet operum suorum imagines et ideas, ex quibus ea quae sunt propria sui molitur, neque est idem cum ideis istis; ita Deus

(1) Cap. 5. (2) Tract. 1. in Ioan. (3) Lib. 1. de fide cap. 1.

Deus rerum omnium praeformatas et descriptas habet ideas atque exemplaria, ad quae illas exigit, dum in tempore producit, neque idem est prorsus quod idea. Siquidem idea rerum fabricandarum est exemplar. Sunt autem diuinae ideae ipsamet Dei essentia quatenus rerum omnium repraesentatiua; nam idea exemplar est seu interna similitudo in mente artificis existens, ad cuius inspectionem opus suum perficit: hoc autem diuinae competit essentiae, quae omnes creaturas posibles et existentes repraesentat.

Verum habent ideae diuinae proprietatem quamdam, qua ab humana quacumque idea in mente artificis existente discrepent. Nimirum, quod diuina idea non altunde, hoc est, ex aliis rebus hausta concinnataque est. »Faber vero, ut Anselmus ratiocinatur, penitus nec mente potest aliquid corporeum concipere imaginando, nisi id quod aut totum simul aut per partes ex aliquibus rebus aliquo modo iam didicit, nec opus mente conceptum perficere, si desit aut materia, aut aliud sine quo opus praecognitum fieri non possit. Quapropter ea quae per illam creata sunt, omnino non sunt aliquid, quod non sit per illam. Quae vero per ipsam fiunt, penitus non essent, nisi esset aliquid, quod non sit per ipsam«. Cuius rei causam Patres Graeci adferunt, dum aduersus Originem aliosque aeternitatem rerum conditarum, ac materiae saltem, adstruentes adserunt, non solas rerum qualitates, cuiusmodi est rerum dispositio ac modificatio, sed ipsas creasse substantias. Ex quo alterum diuinarum creaturarumque idearum discrimen conficitur, quod notabile prorsus est. Nam quia rerum substantias non producimus, ideo nec rationes, hoc est, ideas substantiarum apud nos habemus, sed habituum dumtaxat artiumque, secundum quas artis opus efficitur; id est, accidentium illorum quae substantiam afficiunt, quaeque sola et in sensus hominum incurunt et artificum elaborantur industria: qualis est figura modusque ac dispositio et ordinatio materiae, quam exposcit et concinnat artifex. Deus autem quia tam substantias quam earum dispositiones efficit, utriusque generis formas et exemplaria complectitur.

Neque facit aduersus hanc de diuinarum idearum existentia doctrinam quod Anselmus docet (4), in Verbo, scilicet, non esse rerum similitudines: Siquidem hoc vnum vult innuere, non esse in Verbo rerum similitudines a rebus ipsis acceptas: quemadmodum in specu-

(4) In Monologio cap. 12. non est ab. ex. dil. (1)

culo sunt: bene vero esse in Verbo similitudines naturales et essentielles, quae sunt rerum creaturarum exemplaria.

Sed his obiter de diuinis ideis adnotatis, ad designanda singillatim media, quibus Deus creaturas possibles et futuras potissimum cognoscit veniamus.

CAPVT IX.

Agit de medio cognitionis creaturarum possibilium.

Videt Deus creaturas possibles in ideis suis, seu in incommutabili rerum intelligibilium ratione.

Constat haec assertio ex iis quae in Capite vii. dicta relinquimus: apertius autem ex iis quae antecedenti capite adnotauimus: quamuis enim Deus omnia videat in suis ideis, quatenus illa videt in se ipso seu in sua essentia; aptius tamen idearum nomine utimur dum de possibilibus sermo intercedit: nam Patres Graeci ideas definiunt exempla rationesque substantiarum efficientes: Quae deinde exempla ac rationes res futuras minime exhibent, nisi accedat artificis propositum et voluntas.

Sed probatur deinde haec ipsa assertio ex S. Augustino dicente (1): »nouit omnia Deus in se ipso«. Ratione etiam suaderetur: nam in Dei sapientia sunt infiniti thesauri rerum intelligibilium: expertus enim artifex mente percipit quidquid efficere potest.

Neutiquam ergo admitti valet cognitio diuina erga creaturas istas possibles immediate in se ipsis, etiam in sensu Gregorii Ariminensis (2). »Quid enim illud est, videri posse immediate in se ipso quidquid videtur nullo vertente medio inter facultatem intellecticem et obiectum, quemadmodum videntur in mente rationes intelligibiles et veritates intime affulgentes? An hoc etiam in Deo valere potest? Quamuis Deum inter et creaturas nihil re ipsa distinctum concipi possit, Deus creaturas immediate in se ipsis cognoscere nequit. Amota enim a Dei perfectissima vna omnisque compositionis experte natura, distinctione qualibet intrinseca, negari nequit saltem distinctio illa, qua eadem res indiuidua comparate ad obiecta externa distinctionem illam complectitur, cuius gratia de re ipsa oppositae propositiones enun-

(1) Lib. xv. de Trinit. cap. 14. (2) Dist. 38.

enunciantur. Quum itaque diuina decreta, idea incommutabilis, ratio supremae causae summaque diuinitatis perfectio diuersa connotent obiecta, nescio cur nequeant dici medium in quo creaturae a Deo cognoscantur. Hinc dicendum est videri a Deo creaturas in semetipso tamquam in causa illarum effectrice; quum in huius causae virtute praecontinerentur priusquam fierent, atque ut ait Augustinus (3): »Deus vnica creaturas suas et spirituales et corporales, non quia sunt ideo nouit; sed ideo sunt quia nouit; non enim nesciuit quae erat creatura. Quia ergo sciuit, creauit; non quia creauit, sciuit. Non enim eius sapientiae aliquid accessit ex re; nec aliter sciuit creata quam creanda«. In sua ergo sapientia omnipotentiaque Deus sapientissimus cuncta intuetur, ideoque in se ipso. Pari ratione dicendum est omnia a Deo comprehendi in incommutabili idea rerumque cunctarum ratione.

CAPVT X.

Medium in quo cognoscit Deus futura ordinis supernaturalis in statu naturae lapsae exhibet; ac quaedam notatu digna probationibus praemittit.

Videt Deus futura libera ordinis supernaturalis, quae spectant ad statum naturae lapsae, dependenter ab efficaci decreto.

Omnis omnino de futuris quaestio aptius in dissertationibus de voluntate et providentia Dei tractaretur; quum tamen diuinae erga illa cognitionis medium constituere opus sit, non incongrue hic agitur. Itaque ut rem a principio ordiamur, distinguere futura inter et futura oportune debemus. Ac principio quidem futurum necessarium inter et contingens. Prius illud est, quod habet necessariam connexionem cum sua causa: sic necessario futura est combustio palae, cui fax ardens admoebitur. Posterius subdiuiditur in contingens ab extrinseco, et ab intrinseco contingens. Primum est illud, quod licet oriatur a causa intrinseca necessaria, impediri tamen potest ab alia causa extrinseca, ut in morbis cuenit, quae necessario contingenter nisi medicamentorum virtute praecooccupantur. Contingens au-

(3) Lib. xv. de Trinit.